



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Machvmetis Saracenorum principis, eiusque Svccessorvm
Vitae, Doctrina, Ac Ipse Alcoran**

Bibliander, Theodor

[Basileae], März 1550

VD16 VD16 K 2586

Disputatio Christiani eruditissimi, qui diu uersatus est apud principem
Sarracenorum cum magna dignatione: & Sarraceni sodalis ipsius,
aduersus doctrinam & flagita Mahumetis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-97854](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-97854)

DE HÆRESI HERACLII ET PRINCIPATV AC LEGE MACHVMETI.

Disputatio Christiani eruditissimi, qui diu uersatus est apud principem Saracenorum in magna dignatione: & Saraceni sodalis ipsius, aduersus doctrinam & flagitia Machometis, dignissima uisa est, quæ ex XXIIII. libro Speculi historialis huc adhaeretur. Licet enim in compendium sit contracta, multa tamen continet ad historiam cognitionem pertinentia, multa quæ ad lectionem Alcorani conferunt. Ipsum uero superbū molimen Machumeticæ superstitionis, uelut aries ualide impressus, subruit & demolitur. Ut facile appareat, quanto potentior sit ueritas paucis & simplicibus uerbis exhibita, quàm mendacium infinita uerborum congerie & uersutia fultum.



PER idem tempus Cyrus Alexandrinus episcopus & Sergius Constantinopolitanus patriarcha, Monothelitarū hæresim prædicabant: qui scilicet unam tantum in

Christo naturam esse putabant. A quibus deprauius Heraclius Augustus, post tantas uictorias aberrauit à catholica fide. Vnde diuino iudicio Agareni, qui & Saraceni dicuntur, Hummaro duce & ceperunt lacerare. Nam Hummarus Damascus & regionē Phoenicis, & Hierusalem, totamq; Syriam occupauit, & Antiochiam comprehendit. Promotus est etiam Mauchias à præfato tyranno prætor & amiras totius regionis, quæ est ab Ægypto usq; ad Euphratē. Hac præterea tempestate Saraceni, qui & Turci dicuntur, Machumet pseudopropheta eis ducatum præbente, à suis sedibus exierunt, & imperium Heraclij grauitè deuastare ceperunt. Porro iste Machumet Saracenorum & Arabum princeps et pseudopropheta, fuit de genere Ismaël filij Abrahamæ. Qui cum in prima eua etate sua esset mercator, pergebat frequenter cum camelis suis à apud Ægyptum & Palaestinam cum Iudeis & Christianis, à quibus tam nouum quàm uetus testamentū. Sed et magus perfectissimus effectus est. Et cum hac illacq; discurreret, contigit ut Corozoniā ingrederetur prouinciam: cuius prouinciæ domina Cadigā nominabatur. Quæ cū diuersas species quas secū Machumet attulerat, miraretur, cepit ei præfata mulier familiaris adherere. Quā Machumet incantationum suarum præstriclam phantasmate, cepit astu paulatim in errorē inducere, dicens ei: quòd ipse esset Messias, quem esse uenturum adhuc Iudæi expectant. Suffragabantur uerbis eius tam incantationum præstigiā, quàm calliditatis eius ingenia copiosa. Quæ

opinionem non solum potens mulier est decepta, sed & omnes Iudæi, ad quos fama eius pertingere poterat, ad eum cum Saracenis cateruatim confluebant, attoniti & tanta nouitate rei. Quibus cepit nouas Leges fingere, & eis tradere, adhibens etiam ipsis legibus testimonia de utroque Testamento. Quas leges Ismaëlita suas appellant, eumq; suū legis latorem esse fatentur. Præfata quoque mulier uidens hominem Iudæorum & Saracenorum pariter contubernio uallatum, existimabat in illo diuinam latere maiestatem. Et quum esset uidua, adsumpsit eum sibi maritum. Sicq; Machumet totius prouinciæ illius obtinuit principatum. Deinde uero Arabes ei adherentes, regnum Persidis ceperūt infestare, ac demum orientalis imperij fines usq; ad Alexandriam super Heraclium inuadere. Post hæc uero & cepit cadere frequenter epileptica passione. Quòd Cadigam cernens, oppidò tristabatur, quòd nunquid esset impurissimo homini & epileptico. Quā ille placare desiderans, talibus sermonibus, demulcebat eam, dicens: Quod Gabrielem Archangelum loquentem mecum contemtor, & non ferens splendorem uultus eius, ut pote carnalis homo, deficio & cado. Credidit ergo mulier, & omnes Arabes et Ismaëlita, quod ex ore archangeli Gabrielis illas susceperet leges, quas suis discipulis dabat: eò quod Gabriel archangelus sæpe à deo mittatur hominibus sanctis.

DE QVIBVSDAM libellis, in quibus agitur de ipsius fallacijs.

Fertur autem & libellus in partibus transmarinis, de Machumeti fallacijs, in quo legitur, quod ipse uolens sibi conciliare animos populi Arabum, dicebat se esse prophetam ad eorum salutem diuinitus missum: ut uidelicet legem Iudæis & Christianis, quæ nimirum rigida nimis ac seuera esset, mitiorum præcepto-

A

Pyrrhus

tantæ

eius imperij grauitè

Machumet

Machumeti genus, ad didicit

Comitali laborasse Machumetum.

rum promulgatione temperaret. Et ut eiusdem missioni adinstar Moysi prodigia quaedam uiderentur attestari, populum assignata die conuocauit ad certum locum, quasi legem diuinitus missam, in signis & prodigijs accepturum. Tunc eo sermocinante ad populū, columba quæ in uicino erat, ad hoc ipsum fallaciter edocēta, super humerum eius aduolans stetit, & in eius aure iuxta morem solitum grana inibi reposita comedens, quasi uerba legis suggerere ei simulauit. Taurus quoq; similiter ad hoc ipsum consuetudine quadam edocētus, ut de manu eius pabulum acciperet, ad uocem eius coram populo uenit, & quasi legis nouæ mandata cælitus missa, quæ ipse cornibus eius alligauerat, detulit. Sed & Picerias lacte ac melle plenas, quas ipse in certis locis terræ latenter infoderat, quasi per diuinam reuelationem ibidem effodi fecit, & populo uelut in signum abundantie futuræ, quam per eiusdem legis obseruantiam idem populus mereri iuberetur, ostendit. Sicq; quasi miraculis & magnalibus diuinis congratulantes & acclamantes seduxit, atq; ad legem suam quasi diuinam recipiendam pertinaciter animauit. Porro de libro regis ipsius, qui Alchoranus dicitur, qualiter confictus sit, et quàm dilaceratus atq; confusus, dicitur paulo inferius. Hic enim pauca libet inserere, de libello disputationis cuiusdam Saraceni & cuiusdam Christiani de Arabia, super lege Saracenorum & fide Christianorum, inter se: Qui ambo probati philosophi, & in secta sua perfecti, Emirhelmini regi Saracenorū erant familiares ac noti, sibiq; inuicem amici charissimi. Hunc autem librum fecit dominus Petrus abbas Cluniacensis de Arabico in Latinum transferri, à magistro Petro Toletano, iuuuante Petro monacho scriptore: cum esset idem abbas in Hispanijs constitutus, cum imperatore Alphonso, eo anno, quo idem imperator Choriam ciuitatem cepit, & inde Saracenos fugauit.

DE ORIGINE AC uita Machumetis.

Homo igitur iste, uidelicet Machumet, pupillus fuit in sinu patris sui Abdamanes, qui cognominatur Abdemutalla. In cuius tuitione pater ipsius moriens, eum commēdauerat: Eratq; tutor & curator illius. Ipse uero præter ea cultor fuit idolorum, quæ uocantur Ellech & Aleze in Mecha, cum omni domo & generatione sua, sicuti in sua scriptura testificatur dicens, ita dictum sibi fuisse, Nonne tu fuisti pupillus, & collectus es: et in errore, et iustificatus es: et pauper & ditatus es? Ita ergo uixit, usquequò peruenit ad seruitium camelorum Adege filii Hulert, cuius factus fuerat mercena-

Columba Machumet humeris aduolare edocēta. Taurus legis librū terre affuefactus.

legis

Saraceni & Christiani philosophi disputatione. Petrus Abbas Cluniacensis.

Machumet solatra.

rius. Et proficisceretur cum camelis in Syriam & in alia loca, donec duxit eam uxorem, interueniente causa, quam tu scis. Postquam uero se diuitem factum eiusdem mulieris opibus uidit, conatus est super gentem & patriam suam regnum arripere. Sed dum hoc ad effectum, prout cupiebat, non posset perducere, præsertim cum paucos adhuc fautores haberet, arte & ingenio magno usus est, ut qui rex esse non poterat, prophetam se Dei simularet esse, & nuncium. Hoc displicuit omni parentelæ & generationi eius, quæ uocabatur Choraes. Cumq; hoc modo propheta sibi nomē usurpasset, ingressus est ad homines, qui tanto facilius qualibet astutia machinatione decipi poterant, quanto longius ab omni sapientia & usu ciuitatis, totiusq; humane prudentiæ honestate per agros & uillulas sequestrati, quid Dei nuncius uel propheta esset, aut in quo cognosci deberet denique quid inter ueritatē & mendaciū, inter fatuitatem distaret & sapientiam, discernere nesciebant. Ad hos decipiendos cuiusdam astrologi, cuius postea nomen & causam dicemus, Topere et cōcilio nō mediocriter confortatus, homines ad se pestiferos, & uariū insidiatores, fugitiuos quoq; et homicidas sibi aggregauit. Quos etiā ad deuia syluarū, ad cacumina montiū, & ad proxima fontibus loca circūquaq; mittebat, insidiari scilicet negotiatorib; & iter agētibus ad interficiendū eos, & diripiendum tam camelos quàm cætera quæ ducebant, uel quæ negotiationis uel necessitatis causa portabant.

DE FURTIS ET LATROCINIJS eius.

De ipso etiam scimus, quod primo tempore prophetiæ suæ, cum de ciuitate ueniret ad Mechā, & inueniret hominem camelū habentem, eundē illi camelū abstulit, et cum iam quinquaginta triū annorū esset, tali beneficio prædicationis suæ primordia dedicauit. Habuit autē ibi quadraginta de suis, qui affuerunt custodiētes eum ab illis de Mecha, quos ualde infestios habebat: eo quod ipsi omnes artes eius & maleficia nossent. Oderant quippe illum nimis, quod cum latro & pestifer esset, prophetā Dei se esse stultis hominibus mentiebatur. Abijt autē in ciuitatem quandam destructā, quā ex maiori parte Iudæi pauperes inhabitabant, in quam cum ingrederetur, uolens ostēdere iusticiā suæ regulā, & propheticæ modū, pupillis cuiusdā carpētarij filijs domū abstulit, et in eā meshidā fecit. Deinde misit in prima sua expeditione Hanzetam filium Abdimelech, cum equitatu XXX. uirorū, ad syluas regionis in Hemē, rapere camelos Choraes, quādo reuertebatur de Syria

Propheta nomen sibi uocabat Mach.

opera & cōsilio

Mechā

prophetiæ

Machumetila trocinia et expeditio.

Syria. Cumq; illi occurreret Hebeget filius
 Hysen in trecentis uiris de Mecha dispersos,
 ubique cum eo erant, nullum certamen ausus
 committere, fugit. Post hæc in secunda expedi-
 tione misit Hugaïda Alarachi, filij Amichalla
 bi sicut tu nouisti, in XLX. militibus, ut esset
 duplex numerus primo cætui, † nec facile ab
 aliquo terreri possent, ad loca proxima Alfa-
 gati. Cui occurrit Ebezefin cum suis militi-
 bus. Inter quos tanta exitiū effusio sanguinis,
 quantam ipse nouisti. Ego autem nullum ibi
 ab angelis adiutum audiui, cum dicatur in Al-
 chorano, quod angelus Gabriel in similitudi-
 nem equitantis super albā equam, habens uesti-
 menta uiridā, comitatus fuerit filios Israel, cū
 eos persequeretur Pharao in CCC. curribus.
 Sed ueniamus ad tertiam expeditionem. In qua
 cum missus esset Zaid filius Ebibacad, simili-
 ter non longe ab Algafati in XX. uiris, &
 non inuenisset camelos iam enim altera die trā-
 sierant, spe sua & desiderio frustratus, inanis
 & uacuus redijt. Licet autem tres istæ expedi-
 tiones sufficere possint ad conuincendam fal-
 sitatem tui prophetæ, non tamen alias ipsius,
 quas per se uoluit facere improbitates, tacebi-
 mus: illam scilicet primum commemorantes,
 qua egressus est ad capiendos camelos Chorais,
 quando uenit ad iocum qui dicitur Gueden.
 Vbi cum conuenisset Umbrem filium Gubsel-
 muhin, & non præuuleret aduersus eum, redijt
 uacuus. Iterum exijt per semetipsum, do-
 nec uinceret Iambo, quærendo iterum came-
 los Chorais, qui erant apud Sem, & quibus in-
 fidiabatur in redundo. Et quāuis tunc pro eis
 acriter dimicaret, tandem confusus abscessit.
 Aduerte si huiusmodi expeditiones ad Dei pro-
 phetam debeant pertinere, in quibus nihil aliud
 quam fraus & uolentia, & humani san-
 guinis effusio, & quicquid prorsus latrones et
 uiarum insidiatores faciunt, agebatur. Fue-
 runtq; expeditiones ipsius uiginti sex, præter
 insidiarum assultus, qui fiebant nocte ac die.
 Quarum nouem ipsemet fecit, reliquas socijs
 imperauit.

DE CRVDELITATE
 ipsius.

Faciebat etiam, quod peius est, ut si qui ei in
 suis istis maleficijs contradicerent, uel in ali-
 quo eum reprehenderent, statim eos, ubicun-
 que sibi contingerent aut per se, aut per suos,
 dormientes siue uigilantes proditorie iugula-
 ret. Sicut senem illum Iudeum dormientem, se-
 curum, in lecto suo ideò iugulari fecit, quia se
 ab illo uituperatum dicebat. Quis unquam,
 non dico prophetam, sed qui uel in modico
 qualemcunque Dei noticiam haberet, talia fe-

cisse auditus est? An non poterat aliter de Iu-
 deo illo suas iniurias uindicare, nisi dormien-
 tem consideret? Quod non solum apud deum,
 sed & apud omnem creaturam ipso auditu su-
 per omnia mala horribile est. Certè quod de
 brutis animalibus, ipsa humani cordis natura-
 lis affectio fieri detestatur, adeò ut pullos aui-
 um in nido repertos nullatenus occidere, pro-
 lege teneat, iste de hominibus faciebat. Vnde
 igitur hoc illi, nisi ex diaboli parte, qui proditor
 & homicida primus ab initio exitit, inesse
 poterat? Quod & humano & diuino iudi-
 cio omnes impietates exuperat. Vbi est, quod
 dicebas eum in sua scriptura dixisse, Missus
 sum ad homines cum pace & misericordia?
 Hæc & his similia, quæ si per singula diceren-
 tur, possent fatigare legentem: tu uide, si pro-
 phetæ Dei opera sunt. Nam illam ridiculosam
 ipsius expeditionem, superfluum puto rete-
 xere. In qua cum ei præciso labro, dentium
 etiam inferiorum medius excussus fuisset, in-
 super & a Gutheba filio Abbiacad in fronte
 & facie uulnera suscepisset, filius Cumennæ
 dextrum cum humero brachium penè illi sustu-
 lerat: nisi à Thala filio Humetcalla, qui ibi di-
 gitum perdidit, defensus teuaderet. Cui tamen
 digitum, quod satis prophetam decuisset, non
 restituit, ostendens quam alienus sit ab illo qui
 sicut Euangelium narrat, etiam inimico auri-
 culam abscissam reddidit. Iste enim nec amico,
 qui se pro illo morti obiecerat, in aliquo subue-
 nire potuit. Et ubi erant angeli, qui olim cum
 prophetis semper fuisse leguntur, eosq; à perse-
 cutoribus defendisset: sicut Heliam ab Achab,
 Danielelem & socios eius à Nabuchodonosor,
 multosq; alios, quos numerare longum est.

DE IMPVDICITIA
 eius, & flagitijs.

Q Vi tale dedecus in scriptura prophetiæ
 suæ sibi facere non erubuit, ut diceret da-
 tum suis renibus à deo, XL. uiros in coitu po-
 tentissimos fortitudine libidinis adæquare. Vbi
 quoque inter cætera, rebus odoriferis & mu-
 lieribus se delectari dicit. Sed ut etiam de his
 aliquid nominatim dicamus, nonne ipse cum
 adamasset Zameb filiam Gaysti, uxorem Zai-
 di, & non posset eam habere, Deum illi in Al-
 chorano introduxit loquentem ita: Cui dedit
 Deus, ego illi faciam utrum tuum retineri su-
 per te: Tu autem timebis Deum, & celabis,
 quod facturum est. Et si times hominem, magis
 Deum. Iterum ad seipsum loqui Deum facies.
 Cum (inquit) compleuerit Zaidi uir eius uotiū
 suum in ea, tunc eam dabimus tibi. Nihil est
 enim prophetæ difficile in eo, quod Deus insti-
 tuit. Quid uerò turpius dici potest, quā quod

A ij

dispertis
 Forte, sexcen-
 tis, aut abstupe-
 rius, uicenis.
 ne

Machumet
 sanguinarius.

Machumet
 uulneratus

euasisset

Libidinis mæ-
 cipium turpis-
 simum Machi

Iudeus quidā
 dormiens à Ma-
 chumete ob-
 truncatus.

Ayssa Machumeti uxor.

in sua uxore, quae uocabatur Ayssa, ipse fecisse dicitur: Haec enim cum pulchra esset, & libidini dedita, diligebatur à Zhabphagam filio Al-mubatham Ethsulami, qui & consuetudinarium cum ea stuprum gerebat, ipso Machumet sciente & consentiente. Cumq; multi inde loquerentur, & testificarentur, maximeq; Musa tha & Hazen, ad ultimum uero Hali filius Abitalib princeps & nobilis inter suos inde eam liberius argueret, copiam mulierum esse dicēs, nec decere tantum hominem à muliercula de-honestari, dignamq; repudio esse confirmaret, respondit, nullam sibi adeo charam uel dilectā, utpote quam uirginem acceperat, & adhuc in uenculam. Videbatur non se inde curare, nec propter hoc mulierem sibi habilem dimissurū.

Odiū inter Ayssa & Hali posteror.

Vnde usque hodie odiū est in Arabia inter generationem Ayssa & generationem Hali. Postmodum uero dicit in Alcorano, mulierem illam innocentem esse, & sibi hoc diuinitus reuelatum. Fuerunt autem uxores eius X. V. ingenuae, & duae ancillae: Quarum una fuit Hune-teline, cuius nomen Iud, filia Abimnei. Ipsa est seducta mater infantium, de qua dixit Machumet, quod auferret ab ea zelum, quando discessit ab eo ad matrem suam, fugiens uxorem Ga-iarā: quam postea reuocauit, dāns ei uestes, & ornamenta & duas armillas. Ipsa uero accepit haec de possessione huius seculi, & futuri. Alia fuit Zameb filia Gayssi, Zaidi, cui ipse misit portionē carnis, & ipsa respuit. Vnde & ipse indignatus est in eam, propter illam quoque in alias uxores iratus, proposuit se ad nullam earum ingressurum per unum mensem, ingressus tamen uicesimo nono die. Alia quoque Zaphia Iudaea alabastria, filia Hai, filij Aptab: quam docuit gloriari super alias uxores suas, quae improperebant ei iudaismum, & ut decreet eis: Ego, cuius pater est Aaron, patruus Moyses, maritus Machumet. O quam longē est ab ista impura & turbulenta doctrina, Christiane disciplinae pia et sancta religio. Si una sola uxor à Dei amore impedit hominem: quomodo qui tantas habebat, officium prophetae congrue adimplere poterat? Officium nanque prophetae non aliud est, quam ieiunare, orare, praedicare, et his similia bona opera facere. Quibus, miror, si homo tantis flagitijs deditus unquam potuit uacare.

Machumeti uxores.

tot Prophetae officium.

DE HOC QVOD falso propheta dicitur sit.

Propheta quis.

Qvod si quis obijciat, multos male uixisse, sed tamen bene docuisse, qualiter etiam uester propheta docuerat, uideamus. Propheta est, ignota praedicans siue de praeteritis siue de

futuris. Scimus autem, quod olim quando prophetae fuerunt, non statim quicunque hoc nomen usurpasset, auctoritatem habebat: Sed longa & diuturna uita sanctitate, signis quoque & miraculis à principibus et populis Dei primitus comprobatus, huius nominis gloriam obtinebat. Si dixeris, eum multa praeterita enarrasse, ueluti scilicet de Adam, de Noë, de Abraham, de Moysse, & Christo, utinam sicut apud nos erant, ipse ea ueraciter praedicaret, & non per multa mendacia delirans, totam penē scripturæ sanctae ueritatem subuerteret. Quantū ergo ad praeterita, iam de ordine prophetarum cecidit, qui tot mendacijs ueritatem corripit. Sanè si aliquas fabulas, forsitan ad suum libitum, composuit, quae nunquam audite sunt, nullatenus ei credendum est. Quia & hoc à quolibet facile potest fieri, & ipse iam in alijs mendax probatus est. De futuris uero quod nihil dixerit, nec teipsum ignorare puto, maxime cū in tota scriptura eius nihil tale inueniatur. Vnde & quantum ad futura, à prophetali gratia exclusus. Iam nec signis, nec miraculis, nec propheta, nec uita inter prophetas esse mereatur. Nam illud totum, quod de paradiso quasi praedixisse uidetur, ad nihil aliud nos cogit, nisi ut dicamus, eum ita mentiri de futuris, sicut probatus est mentitus fuisse de praeteritis. De signis uero & miraculis, quod non sint illi data à Deo, ipse sibi testis est, dicens: Nisi sciremus eos tibi non credituros, sicut nec alijs crediderunt, daremus tibi signa & prodigia. Iterum forsitan dicēs, quia nisi esset propheta, nunquam ad talem potentiam peruenisset. Maxime cum socij eius pauci essent numero, quando pugnauit contra regem Persarum, qui erat fortissimus atque potentissimus, & obtinuit triumphum. Quamuis uero semper illi qui Dei cultores sunt, hostes suos superent, tamen inueniuntur etiam in scriptura sacra pauci idololatras multos Israelitas fugasse. Sed et illi qui semper uincunt, non propter sua merita semper uincunt: sed quia illi contra quos dimicant, tali pœna digni sunt. Nihil enim mirum est, Persarum gentem idololatram & spurcissimam à Machumet uictam esse. Non quia ipse melior illis erat: sed quum ipsi hoc promeruerant, ut à sibi consimili diabolo punirentur. Illud denique quod sibi dicit Deum dixisse, Nisi sciremus eos tibi non credituros, &c. ad Arabes quid pertinebat, qui nec prophetam uiderant, & ideo nec signa prophetica contempserunt unquam potuerant? Cuius autem impudentia est dicere, illos signis eius non credituros, qui non sine signis tantum, sed & sine aliquo alicuius boni indicio, quod nec pecora facere debuissent.

Machumet praeteritorum narratione scripturæ contra ueritatem subuertere conatus

Machumet succellus in bellis.

9
sent, pessimam uita homini crediderunt?
DE FABVLIS AB EO
confictis.

Quia ergo illum tam philosophicis rationibus, quam diuinis autoritatibus sua etiam confessione ab omni prophetali gratia extraneum esse probauimus, restat, ut quales sint fabulae, in quibus contra, id quod supra dixerat signa se fecisse, asserit, uideamus. Dicitur itaque ibi, quod aliquando audiens ululantem lupum, socijs ait, se ex uoce illius intelligere, quod lupus ille inter alios maior & princeps omnium esset. O signum propheticum. Nonne similiter potuit dicere, quod lupus eum in illa uoce prophetam esse signaret? Quis enim illum posset arguere, cum quid inter se lupi dicant, homines nesciant? Certè fabulam hanc multo urbanius, si quid intelligeret, componere potuisset. Sicut & de quodam alio lupo ibi refertur: quod cum allocutus fuisset Veheben, filium Haizel-him, statim sic factus est Saracenus. Vbi si leonem pro lupo ille fabularum compositor posuisset, multo elegantior fabula extitisset. Sed non immerito fabulis suis praecipue lupos intexit, qui more lupi rabiidus semper & cruentus incessit. Qui etiam bouem Zozai domino suo locutum fuisse dixit, & quod super uerba Humemabet mulieris manum suam posuerit. Item quod ipse praeeperit arbori, & statim adorauit eum, quod tamen Saraceni ipsi falsum esse testantur. Iterum dicit, quod cum Zameb Iudaea uxor Zelem, filij Maslim, Iudaei in oue assa uenenum sibi apposuisset, scapula ouis locuta sit ei, dicens: Noli me comedere, quia uene non confecta sum: Et ipse noluit comedere. Comedit autem inde Elhetem filius Mazum, & mortuus est. Vellem scire, utrum ipse solus, an omnes qui cum eo aderant, uocem illius scapulae audierint. Si enim ille solus audiuit, quare socium suum inde comedere permisit. Si uero omnes audierunt, mirum est quomodo ille comedere ausus fuit. Nisi forte de suo propheta sperans, quod etiam mortuum resuscitare poterit. Iterum narratur ibi, quod aliquando miserit manum suam in cauernam, unde exierunt aquae, de quibus ipse bibit, & socij eius & peccorarius. Quod magis de Machumet filio Azari narrari solet, cum de utroque apud Saracenos incertum & friuolum habeatur. Ipse quoque ista omnium mendacissima esse testatur, cum in maiori scriptura sua dicat, signa sibi non esse data. Et cum iterum loquitur, dicens: Non sum missus nisi uirtute gladij: & qui non susceperit meam prophetiam, occidatur, aut reddat tributum pro infidelitate sua, & dimittatur. Vnde uerò apertius aut manifestius ipso teste

Machumet
ficta
& fabulosa.

inde

infecta

Ouis scapula
locuta.

Machumet
fil. Azari.

falsa esse illa omnia comprobantur, quam ex suis iterum dictis, quibus in Alchorano sic loquitur: Quicquid inueneritis scriptum pro me, conferre illud cum Alchoran. Et si ei non concordauerit, scitote, quia innocens sum ab illa scriptura, & non est mea. Ergo secundum istam regulam, signa illa omnia respuenda sunt, quae nullatenus in Alchoran inueniuntur.

DE MORTE
ipsius.

Iam illud tam ridiculum nobis, quam lamentabile suis est, quod cum praecipisset eis, ut mortuum se non sepelirent, eo quod tertia die assumendus esset in caelum: ipsiq; praecipit obseruantes magnis hoc desiderijs expectaret, & iam à secunda feria in qua mortuus fuerat, usq; ad uesperam quarta feria longa expectatione fatigati, nihil aliud in eo quam sectoris magnitudinem superexcrecere cernerent, tandem (sicut retulit Humbrem nudum eum proiecerunt. Guinbran tamen filius Helizam dixit, quod lotus & tribus uestibus indutus, sepultusq; sit per manus Hali, filij Abitalib, & Alsadi filij Alahabet, filij Abdemutalla patris sui. Fertur enim, quod per septem dies morbo pleuritico aegrotauerit, & amisit sensum, septimo uero die conualuerit. Iratus est Hali filius Abitalib, eo quod perdiderat sensum, & dixit hoc ei, At ille inuisit nullum amplius remanere secum in domo, nisi Alahabet filium Abdemutalla. Alia uero die septima mortuus est, & intumuit uenter eius, & retro curuatus est minimus digitus eius. Et fuit obitus eius secunda feria XII. die mensis rabeg primi, anno LXIII. uita ipsius, postquam aegrotare cepit XIII. die. Vita ergo eius LXIII. annis extitit. Quorum in prophetia XXIII. expendit, X. in Mecha, XIII. in ciuitate. Haec sunt quae fecit Machumet, à principio usque ad finem.

Machumet
ridicula apo-
theosis.

DE INSTABILITATE
sectatorum eius.

Mortuo uero Machumet, omnes ab eo decepti, reuersi sunt statim unusquisq; ad sua, quam ante tenuerant, sectam, siue idololatriam, siue quamlibet aliam: praeter paucos suae cognationis, qui expectabant se fore successores in regno. Eo tempore fuit Ebubere filius Amichabaf, uir prudens & callidus: qui non multo post regnum adeptus est. Quod uehementer displicuit Hali, filio Abitalib, quousque rex adeo illum obsequijs & blanditijs delinuit, ut etiam regnum ei post se delegaret. Illos qui auersi fuerant à secta Machumet, omni ingenio ad eam reuocans, iterum eos stulticiae mancipauit. Quidam enim timore, quidam spe honoris, & facultatum, alij alterius cuiuslibet lucri causa,

Machumet
successores.

omnes tamen simulatorie, non ex animo redierunt. Puto autem te optime recordari, quod dominus meus Emurhelmoni, aliquando cum esset mus ei adstantes, & quidam quererentur de aliquo, qui uidebatur esse Saracenus, & non erat, coram omnibus responderit. Dixit enim ita: Ego miror, quod de isto solo, quasi aliquid nouum mihi dicatis: cum sciam non istum solum, sed multos alios nobiliores & probiores in palatio meo, Saracenos esse: ostendunt quidam se esse, sed non sunt. Est enim, inquit, mos pene omnium, ut sicut de Iudæo prouerbum dicit: Iudæus nisi postquam efficitur Saracenus, Iudæus non est: Et uix aliquis suam legem, nisi prius aliam acceperit, diligit. Ego autem de hoc quid aliud deo uel possum facere, quam quod dominus meus Machumet ipse faciebat? Nam illi hoc etiam contigit, ut fere omnes, & maxime qui ei proximiores & familiares esse uidebantur, non nisi simulate ac deceptorie legem eius tenerent. Ad eum enim spernabatur ab eis, & quicquid dicebat, pro nihilo habebant, odientes eum in cordibus suis: ut quadam die uolentes eum occidere, expectarent eum in quadam ualle, quatenus transeunte illo terrificaret subito mulam eius, ut precipitatus interiret. Qui tamen nunquam propter hoc eis se iratum monstrauit. Eius igitur exemplo omnes istos, qui siue de Christianis, siue de Iudæis, siue de paganis Saracenos se esse dicunt in regno meo, & non sunt, nunquam ad aliud cogam. Scio namque quod nullus Christianus qui timore Saracenus fieret, in Saracenicitate permanebit. Similiter de alijs sentio. Quid ergo amplius possum facere? Videat Deus, & iudicet. Hoc solum faciam, ut semper maledicam eis.

Q UOD LEX EIVS non sit diuina.

Sed iterum si forte dixeris, non debuisse me reprehendere ipsum illum, si se aliquando uindicauit: cum hoc inueniatur fecisse Iosue, & ceteri multi prophetae: Scias aliud esse quod fit precipiente Deo, aliud quod homo praesumit. Deus enim hoc illis praecipiebat. De cuius praeepto, quodcumque sit, quando canque sit, non licet homini iudicare. Ergo inquis, nec Machumet? de hoc hic reprehendi: Siquidem & illi Deus talia praecipit. Vnde tamen probas, quod deus illi praecipit? deus enim ille si deus fuit, in aliquo se deum esse ostendere debuit. Secundum ea uero, quae superius ostendimus, nec signis nec miraculis hoc ostendit. Nos igitur eum deum fuisse non credimus. Quod enim de Deo credimus, tam in nouo quam in ueteri testamento, signis & miraculis commentum nobis & confirmatum est. Nec alium

Prouerb. de Iudæis.

Vindicare se quatenus licet

debet

Deus

nunquam pro deo habebimus, nisi illum unum & uerum, qui quotiens legem dare uoluit, signis hanc diuinis & mirabilibus, confirmauit. Propheta uero tuus quis fuerit, uel unde uenerit, nescio, cum dicatur mihi a domino meo Iesu Christo, quod in Ioanne Baptista finis sit omnium prophetarum. Illud quoque prudentiae tuae nullo pacto conuenire arbitror, quod inuitare me uoluisti, ut scilicet dimitterem sacrosancta & spiritus ualia domini nostri Christi praeepta; Ex quibus ipse mihi non illam sordidissimam quam descripsisti paradisum tuam, sed aeternam angelorum uitam in caelestibus promittit: & accederem ad impurissimos & pecuales ritus, non a Deo, quod absit, imò a spiritu fornicationis, & gastrimargiae miseris & carnalis seculentiae seruis infelicissimis persuasos. Quorum, sicut de similibus Paulus apostolus dicit, Deus uenter est, & gloria in confusione ipsorum. Qui non nisi terrena, caduca, uentri & libidini congruentia sapiunt, nec sapere possunt. Excitauit enim eos spiritus immundiciae. Qui aeternam putredinem & uermes immortales hereditabunt: quia porcorum more semper in stercore & fetore libidinis uolitantur. Ego enim mirari non sufficio, quo modo persuaderi potuit, non dico alicui sapienti, sed illi qui per somnium aliquid humani cordis se habere putaret, istum fuisse prophetam, cum eius & uita & doctrina ita contraria sint non solum diuinae religioni, uerum etiam humanae honestati: ut ipsa quoque bruta animalia pene hoc intelligere possint. Sed ut iterum aliquid mitius dicamus, quis unquam sanctorum & diuinorum nuntiorum, quos a Deo esse missos cognouimus, in terrore gladij se missum asseruit? Quis ita facinorose uixit? Quis denique tot spurcicias docuit? Aut quis ita uentri & libidini genus humanum prostituit?

Q UALITER PER FALLACIAM fuit data lex.

Iterum tamen ad praeepta eius diligentius inspicienda reuertamur, quae ego nescio ad quam legem pertinere uideantur. Duae enim a Deo accepimus, unam gratiae, alteram iusticiae. Lex gratiae a Christo data est, lex iusticiae a Moysse. lex gratiae talia iubet: Diligite inimicos uestros, Benefacite ijs qui oderunt uos, & cetera huiusmodi. Lex iusticiae, oculus pro oculo, dente pro dente, uesturam pro uestura, percussuram pro percussura, & cetera quae ad talionem pertinent, reddi imperat. Harum duarum nullam socij tui esse manifestum est. Multitudo enim antequam ipse emergeret, una a Christo, altera a Moysse data est. Cum enim istae duae tantummodo leges hominibus datae sint

Proprietaria omnium fuit in Iouane baptista

Machumet an propheta

Lex duplex a Deo tradita

sint, quarum altera diuina, altera humana magis esse uidetur: ista tertia lex a socio tuo inuenta, quid erit nisi diabolica? Diabolo enim inspi-
 rante maxime hanc subito, nescio unde emer-
 sisse cognoscimus: quae nec humana nec diuina esse probatur. Sed inter utrumque prodigiosa fa-
 cie, nunc hoc nunc illud uideri uolens, et se nunc illam, nunc istam esse confingens, nullum alium nisi diabolum, qui se inter deum et homines semper medium facere nisus est, imitatur. Sed forsitan dices, inde probari hanc legem esse diuina-
 nam. Quia cum Machumet idiota et sine literis esset, nullatenus eam scribere uel annunciare hominibus nisi diuina uirtute potuisset. Maxime cum ipse dicat: Quia nec homines nec demones talem scripturam facere possent. Et iterum: Si hanc legem fecissemus descendere super montem, inclinaret se mons ipse, et adoraret eam, prae timore Dei. et alia multa friuola et nihil rationis habentia, quae tu aperta et manifesta signa prophetiae scij esse dicis, quibus probetur esse uera. O signa et miracula in istis ait Machumet. O signa comparanda mari rubro diuiso, et soli ad imperium Iosue stanti, et Christi precepto mortibus imperanti. Imo uere magna tam ueritatis quam uirtutis inopia, quae tibi haec sola argumeta, imo deliramenta omni ratione et uirtute uacua dereliquit.

Q VALITER ALCHORANI liber connexus sit.

Sergius monachus cum in monasterio graui-
 ster peccasset, et propter hoc excommunicatus et expulsus fuisset, uenit ad regionem Cubenne: et inde usque ad Mechem descendens, ubi erant duo populi, unus cultor idolorum, et alter iudaicus, inuenit ibi Machumet, qui colebat idola, uolensque aliquid facere, unde monachis illis qui eum expulerant placeret, et reconciliari mereretur (erant enim heretici Nestoriani, qui dicunt Mariam non peperisse deum, sed hominem tantum) omni studio et conamine persuadebat ei, ut ab idolis recederet, et Christianus, Nestorianus esset. Quod cum effectui mancipasset, discipulus ei factus est Machumet, et ille se propter hoc Nestorium nuncupauit. Et ita factum est, ut ab ipso monacho aliqua de ueteri et nouo Testamento edoctus, ipsa in Alchorano suo fabulose ac mendose intexeret. Hoc et ille persuasit, ut in Alchorano suo poneret dictum a Deo, quod monachi et presbyteri Christiani familiares ei esse deberent, quia non superbiunt. Cum uero cognouissent Iudaei, quod multi, et etiam Machomet ipse, ad qualemcunque quasi umbram Christianitatis illum monachum sequerentur, et penes illud quod postea factum est per Machumet, per ipsum Nestorium iam consummatum esset,

Machumet
lex diabolica.

Machumet
idiota, & sine
literis peritus

Solide

Sergius monachus.

Nestoriani
heretici.

Machumet
Nestorius

Nestorianus

profliterunt tres Iudaei, et timentes ne in uera Christianitatem quandoque Machumet incidere, accesserunt ad eum, et maliciose calliditate socios uel discipulos eius se esse in hac secta dicentes, eique omnia quae turpiora uel nequiora in Alchorano sunt, scribere persuadentes, usque ad finem eius cum eo semper fuerunt. Post mortem uero Machumet, cum, sicut diximus, unusquisque redisset ad sectam suam, et successisset in regno Ebubere, Hali quoque filius Abitalib, licet nobilior eo, sub ipso maneret, praedicti Iudaei uolentes iterum turbare omnia: persuadebant Hali, dicentes: Quare cum sis fortis et nobilis, non te in prophetam eleuas, sicut fecit socius tuus Machumet: qui erat Christianus Nestorianus? Et erimus tecum, sicut fui mus cum illo, adiuuantes te in omnibus. Ille autem, utpote iuuenis, et totius bonae doctrinae expertus, facile acquieuit. Iam enim quasi ad hoc praedoctus fuerat. Siquidem aliquando cum puer esset, et uagabundus, ut illius aetatis est, quadam die per aliqua deuia incederet, et Nestorij illius pseudomonachi latibulum, unde ab eo Machumet furtim responsa dabantur, offendit. At ille cum se deprehensum uideret, puerum tam minis quam blanditijs induxit, ut hoc nulli hominum proderet. Itaque iam penes ad hoc incipiendum declinauerat Hali. Sed rex Ebubere hoc coper-
 to, ad se uenire mandauit. Quem, cum uenisset, tantis blanditijs ac promissionibus delinuit, ut ab huiusmodi incepto omnino desisteret, seque illi subditum in omnibus exhiberet: Iudaei tamen non cessauerunt facere, quod potuerunt. Nam accepto libro ab ipso Hali, quem reliquerat ei Machumet, quicquid sibi uisum est, aut addiderunt, aut detraxerunt, aut mutauerunt. Ex quibus illud est unum: Dicit Iudaei, Christiani nihil sunt: Dicit Christiani, sed Iudaei sulti sunt. Itē inter alia multa et fabulosa illud capitulum, ubi est fabula de formica, et aliud, in quo est fabula de ape, et aliud de aranea narratur.

Q VALITER EIVSDEM scriptura dilacerata sit.

Valiter autem scriptura ista non solum a Iudaeis, sed etiam ab alijs multis uarie et incepta, diuerse intellecta, multiformiter exposita, et tandem penes tota dilacerata sit, ex aliqua parte explicabimus. Post XL. uel sicut alij uolunt, post sex menses, ex quo regnare coeperat Ebubere, uocauit Hali filium Abitalib, et dixit ei: Quare presens non fuisti, quando factus sum rex, et non cum alijs nobis adstitisti, cum sis magnus princeps et nobilis? Respondit Hali, Quia occupatus fui in colligenda scriptura, sicut iniunxit mihi propheta. Et iam collegerat Eleage filius Nizef multos codices, et diminuerat multa in illis, sicque ceteri multi. Qui-

Hali.

Nestoriani

Alchoran iste
dicit magna
parte audiam

accepta

familiars dam enim legebant secundum Hali scilicet familia, & domestici, & propinquiores eius, illam scripturam que fuerat apud Choraïs, & que prima illius fuisse dicebatur, quam traderat ei Nestorius monachus: quem uocabat aliquando Gabrielem, aliquando spiritum fidelem. Alij uero legebant collectum à diuersis hominibus. Multi uero secundum Arabem quandam, uenientem nuper de solitudine: qui multa inde scripserat absque sensu & ratione. Alij secundum Zabefatin, & Arabin. alij secundum alios. Qui omnes in membranis & rotulis, quod unicuique uidebatur, transferant. Erant itaque uarij inter se & discordes, dicebantque cum legerent alter ad alterum: Ego melius quatu, sed tu deterius quam ego: Et ego totum habeo, sed tu nihil: Sed tu nihil, & ego totum. Hoc igitur modo alijs addentibus, alijs minuendis, alijs mutantibus, alijs alio quolibet modo corruptentibus, liber ille omni fide indignus effectus est.

Nestorius

Alcoran colli-
gentium alter
caro

DE ITERATA COLLE-
ctione illius, & dissipatione.

Denique mortuo Eubere, & succedente sibi Ozimen filio Hasen, cui insidiabatur Hali, filius Abitalib, & querebat eum interficere: cum perlatum fuisset ad regem de diuersitate scripturae, & assiduis contentionibus & rixis, que propter eam fiebant: dicerentque illi sapientiores, timere se, ne de hac causa seditiones & dissidium orirentur in regno, maximeque ne ex toto scriptura illa periret: precepit rex, omnes libros & chartulas undecunque colligi. Licet tamen Hali, Abitalib, & Ibenmuzod libros suos dare noluerunt: reliqui uero collecti, dati sunt in manus Zeidi filij Zebith Aluzari, & Abdalla filij Alahabet, ad redigendum omnia in unum codicem, & emendandum. Dictumque est illis: Si contigerit uos in aliquo capitulo non posse concordare, scribite illud secundum exemplar & autoritatem Choraïs. Quod & ipsi fecerunt. Sicut, uerbi gratia, quando inuenerunt in quodam loco arcem, & alius dixit arcem, & alius arcum, tandem secundum id quod habebat Choraïs, dixerunt. Sic & de multis alijs. Facientesque quatuor similes codices, unum miserunt in Mecham, alium in Syriam, alium in Aleiarac, alium relinquerunt in ciuitate. Sed ille qui ad Mecham missus fuerat, incendio perijt, quando uastata est Mecha ab Ozeario. Ille uero qui in ciuitate remansit, in diebus Gezit filij Matoma, perditus est. Tertius qui in Aleiarac erat, a tempore Almustat nusquam comparuit. Rex autem Azimen, qui libros illos preceperat fieri, quocumque remanserunt in chartis, precepit comburi. Ex his

Alcorani far-
rago hinc in-
de collecta.

Alcorani pri-
mum quatuor
codices tantum

Mechæ uasta-
tio.

igitur uarietatibus & mutationibus, que superius dicta sunt, contigit, ut multa ibi capitula diuersa inter se & sibi inuicem contraria inueniantur. Sicut, uerbi gratia, capitulum bouis & capitulum uaccæ: de quibus dicitur, quod capitulum bouis ante fuerit prolixius capitulo uaccæ, nunc uero breuius. Dicitur etiam, capitulum corruptum esse & imperfectum. Dixit etiam Aissa uxor Machumet, Hali multa inde abstulisse, & penè totum demutasse, & in super prohibuisse homines, ne legeretur Alchoran, & propter hoc multos sepe uerberasse.

Alcoran que
re multa ha-
beat contra-
ria inter se.

QUALITER RECOLLE-
cta & dissipata sit.

Post multa iterum tempora Elebagig filius Vizes cum regnare cepisset, iussit congregari omnes libros, & chartas & uolumina: collectoque ex eis uno codice ad suum libitum, postquam multa adiecit & multa detraxit, multaque narrauit, cetera omnia que ubicunque inuenirentur, iussit incendi. Fecit autem de suo libro exemplaria. Ex quibus unum misit in Agyptum, alterum in Syriam, alterum in ciuitate, alterum in Mechâ, alterum in Mesopotamiâ, alterum in Albazara. Aliquando etiam uenerunt ad istos multi de gente Elueh beti, qui idolatrae erant, & simulantes se uelle esse Saracenos, ut legem eorum si possent annihilarent, multa nihilominus in prædicta scriptura, ubicunque latenter poterant, modis omnibus lacebant. Quod si nulla alia uarietatis huiusmodi scripturae causa uideretur, quam ex illo habebatur, scilicet quod Hali, & Eubere, & Ozimen & Honor semper discordes fuerat & inimici, sufficeret. Dum pro certo constat, singulos eorum pro sua intentione alterum aduersus, alterum in libro illo iuxta propriam uoluntatem, quicquid sibi placuit, ad suam commodum uel addidisse, uel minuisse, uel narrasse. Viri certe prohi Saraceni, & qui satis inde dolebant, mihi sepius hoc dixerunt, quod tota Alchorani scriptura adeo commixta & confusa sit, ut quicquid ibi est, totum sine continuatione, sine compositione, absque omni uerborum ordine, postremo absque ullo sensu uel ratione uideatur.

uariant, ad
mutant legem
dum est.

fuisse

uastasse

DE VILITATE STILI
eius, & materie.

Mror autem, quid illic tibi placere possit. Nam si eloquentia consideretur, nemo tam turpiter aliquid Arabice scripsit. Quantum enim ad sapientes Arabicos scriptores, quid est totum Alchoran, nisi digna risu barbaries? Si uero sententiæ perpendantur, ego nihil ibi uideo, si tamen esse potest, aliquid boni.

Alcorani etiam
Arabici barbaries.

Nam

Nam mala illic multa reperiri nō dubium est, quæ uel quilibet stultus similiter, aut certè multo elegantius fingere possit. Esto tamen bona ibi uideantur esse aliqua, sicut uerbi gratia, ut aliquando ieiunetur, oretur, & ut fiant aliqua elemosynæ: Nunquid primum talia inuenta sunt à Machumete, qualia scilicet ante ipsum nullus audierat? O quanto sanctius, quanto honestius, quanto rationabilius & Moyses, & Helias, & alij prophetarum multi? Iohannes quoque baptista, sed & ipse dominus omnium Iesus Christus, & ieiunauerunt, & adorauerunt, & misericordias impenderunt: nos quoque ieiunare, & orare, & elemosynam dare ante prodigiosam prophetiam Machumet infinitis retro temporibus docuerunt. Cesset cesset Machumet, earū rerū uelle uideri magister primus, quarū nec dignus fuit in aliquo discipulus esse uel ultimus. Absit absit à nobis talis prædicator ieiunij, qui post monstruosum ieiunium sic omni libidini & ingluuiei operam impendere præcipit, ut non ad aliud uideatur instituisse ieiunium, quàm ut postea uoluptuosius & appetentius excitetur omnis turpitudine libidinum. Iam uerò illud quod & tibi dixisti, & ipse in eadem scriptura prædicauit, hanc scilicet scripturam talem esse, qualis nec ab hominibus, nec à dæmonibus fieri potest, certe satis ipse elegit, quibus diceret, rusticissimos uidelicet & agrestes homines, qui & nouiter de diuersis seclis uenerant, ipsamque linguam Arabicam ignorabant. Ceterum si hoc nobis exponere liceat, per omnia sic ei concedimus, quod uerè tam stulta, tam inhonestas, tanque irrationabilis scriptura nec ab hominibus, nec à dæmonibus fieri potest. Puto enim, quod etiam dæmones talia scribere erubescerent. Sane si tantum uult Machumet gloriari de suo Alchorano, quanto magis gloriari possent alij quidam, quos te ignorare non puto: Muxæilena, Heleasif, & Athiops Alabazbi, & Calliata Ellecedi? Qui eodem tempore emulatione illius, ut et ipsi nomen sibi apud homines compararent, suum quisque Alchoranum fecerunt: multoque honestiora, & saltem in aliquo uerisimilia conscripserunt. Sed quia non ex toto uentri & libidini frena laxabant, nō tantos bestialium hominum greges asinosos post se trahere potuerunt.

DE IMPERITIA
& fictione illi ad-
hærentium.

S I ergo miraris, quare tantum hæc scriptura placuit, pro certo teneas, nulli unquam nobili uel sapienti eam placuisse: sed miserrimo imperitissimo uulgarium hominum generi. Qui ab eo de locis syluestribus congregati, cum

Quicquid in Alcorano boni est, multo melius docuit se prophetas alios & Christum.

Ieiunium.

Machumet sectatores quales.

Alcorana plura etiam ab alijs scripta.

quibusdam

has primas literas audissent, rei nouitate stupefacti, sacrilegas fabulas diuina esse oracula crediderunt. Denique cum & paupertate & asiduo ruralium operum labore confecti fuissent, cibi, potus, preciosarum uestium, amoenitatis umbræ, uasorum spectabilem, uxoribus infans per pulcherrimarum, & infiniti concubitas, aliarumque spurcissimarum paradisi deliciarum, quas etiam te pro dolor enumerare non potuit, beatitudinem audientes, seque ibi ex promissione Machumet iam iamque futuros esse sperantes, ad omnia quecumque uoluit, & pecorinis homines cucurrerunt. Inde est, quod contra regem Persidis exiens, sic adiutus est ab eis, ut uinceret. Promiserat siquidem omnibus, qui in bello ipso mori pro eo eligerent, sui paradisi delicias. Quidam tamen magis idcirco pugnasse dicuntur, ut hortos optimos, quos in Perside uicerant, obtinerent. Nam & illos se post uictoriam daturum eis dixerat, ut & in hoc seculo & in futuro semper in hortis essent. Nosti autem, Arabes quantum delectentur hortorum pulchritudine. Sed dicis: Non solum rustici illi, sed & multi alij sunt secuti eum. Verè multi alij, sed pessimi, & leccatores, & qui grauari ære alieno, uel pro suis sceleribus morituri, hanc solum euadendi uiam inuenerant. Nā dic mibi obsecro, quem unquam sapientem, aut nobilem, aut honestum ad Saracenicam uenire uidiſtis? Illi enim qui è Iudeis uel è Christianis adhuc ueniunt ad uos, absit ut aliqua prouocati honestate hoc faciant: Sed quia miserè & impudici legis suæ regulas non ferentes, ad latam & spaciosam uiam, quam socius tuus docuit, se conuertunt. Quod quibusdam maxime Christianis contingit. Quorum lex spiritalis & cælestis, omnia quæ in mundo sunt, contempnisset & amore uisionis Dei æternæ præcipiens, dum carnales & fluxas infelicitum mentes cõprimit, statim ab eâ diffugiunt: quia pugnare contra concupiscentias negligunt. Hoc tamen certissime scias, quia neque Iudæi, neque pagani, neque Christiani, quocumque modo se exterius habeant, & si ueniunt ad uos de uestra seclis se esse simulent, unquam ex corde uobiscum sint. Simulant quidem se esse, quod non sunt, ut, sicut prædixi, aliquod corporis euadant incommodum: aut ut porcinis uoluptatibus, quarum apud uos copia est, persuantur. Adeo autem quicquid facitis, pro nibilo ducunt, ut sæpe inter se loquentes, Machumet & legi eius maledicant, nec dignum eum aliquando fuisse prophetiam uel Dei lege affirmant.

DE NOMINE MACHUMET, quod falsò dicatur in throno scriptum.

Sane

pecunia

Arabes hortorum amantes

Machumetane seclis similes

Sane superfluum mihi uidetur tecum agere de illis, quae tuam non latent industriam, qualia sint apud uos, & quam nulli pudenda, scilicet diuersitas in praeconio, celebritates ex equiarum, uarietas in testimonio, orationes solennitatum, sollicita ad plagam meridianam conuersio, & modus legendi, & modus discernendi, similesq; huiusmodi uarietates. Quae omnia in corde tuo quam nihil sint, scio: cum haec sola superficie teneas, non tamen propter principatum quem tenes, dimittere uelis. Porro illud quod mihi scripsisti, Antequam saecula crearet deus, fuisse in throno, Non est deus nisi deus, Machumet nuncius Dei: unde acciperis, aut tibi inueneris, nescio: cum nec in Alchorano, nec in alia qualibet ipsius inueniatur scriptura. Veruntamen ponamus, ut alicubi hoc repertum sit. Velim ergo, ut mihi dicas, si hoc in throno scriptum est, quis scripserit. An aliquis scripsit hoc deo? Sed quis posset scribere, cum nec dum saecula creata essent? An Deus ipse sibi scripsit, timens scilicet perdere nomen suum, nisi illud scriberet? Quod satis absurdum uidetur. Sed forsitan deus scripsit, ut angeli possent hoc legere. Et hoc non minus insulsum est sentire. Non enim per literas loquitur deus angelis, sed illuminatione praesentiae suae, quae illis ubique adest. Num praeterea propter homines scriptum est, ut ipsi legerent, & scirent? Sed homines in throno quomodo legerent? Resat ergo, friuolum & uanum esse: quod & te ipsum intelligere credo, teq; tibi ipsi scienter illudere. Sicut quidam de socijs dicunt, qui hoc pro nihilo habent, dicentes a iudeis confictum esse, & inter alias fabulas mixtum, ut risum de uobis toti mundo mouerent. Certe cum aliquis uult benedicere Machumet, & ultra modum laudare, hoc solummodo dicit: Deus tu benedic Machumet, sicut benedixisti Abraham & generationi eius. Vnde & in libro eius scriptum est: O filij Israel, recordamini beneficiorum quae ego exhibui uobis: quia praetuli uos omnibus gentibus. Si ergo ita benedici Machumet a Deo, sicut benedictus fuit Abraham & generatio eius, super omnes laudes & benedictiones est, etsi filij Israel praetati sunt a Deo omnibus gentibus, cum tamen nec Abraham, nec generatio eius nomen habeant scriptum in throno: quomodo factum est, ut nomen Machumet, qui secundum hanc regulam ipso Abraham & generatione eius minor habetur, ibi scriptum sit?

**DE SUPERSTITIOSIS
ieiunijs & lauacris Sa-
racenorum.**

scriptum

Angelis quomodo loquitur Deus

Machumeto benedicendi formula benedicentur

Denique inuitas me ad quinque orationes, & ad ieiunium mensis Ramazan. Vbi non tam tibi respondeo, quam ut ipse tibi respondeas, uolo. Dixisti enim in tua exhortatione, quod inter alia, quae de nostra religione cognoueras, etiam orationibus monachorum & ieiunijs interfuertis, genus flexiones & instantiam deprecationum uideris, & cetera omnia, quae uere sancta & caelestia esse nullus negare poterit. Super animam ergo tuam hoc pono, & te ipsum iudicem facio. Scio namque pro certo, quia si, quod iudicium rationis exigit, inde dicere uolueris, quantum ad ieiunia & orationes Christianorum, ieiunia & orationes uestrorum non solum ieiunia & orationes non esse clamabis: uerum etiam quod tales sordes ueris & sanctis seruatorum Dei uirtutibus se comparare ullo modo a se sint, cum maxima indignatione ridebis. Quod uero frequenti corporum lauatio ne hominem purificari creditis, easq; lauatio nes totiens frequentatis, hoc tibi respondeo, quod Dominus meus in Euangelio suo iudeis similia facientibus ait: Vae uobis hypocritae, qui similes estis sepulchris ornatis de foris, cum habeant intus cadauera: Ita uos quidem lauatis corpora uestra forissecus, & corda uestra polluta sunt iniquitate. Quid ergo prodest lauare manus & pedes, & extergere caput, & insistere orationibus: cum conscientia cordis, & mens, & animus occupata fuerint in effusione sanguinis, & diripiendis substantijs aliorum, uxoribus quoque & filijs captiuandis? Vide ergo, quomodo respondet eis spiritus uiuificans? Oportet enim hominem prius lauare interiora cordis sui, & purificari a cogitationibus pessimis: deinde si placet, & si necesse est, etiam corpora.

**DE CIRCUMCISIONE,
& prohibitione carnis por-
cinae, & uxoris
repudio.**

Circumcisio uero quid ad uos pertineat, scire non possum, cum nec Machumet circumcisus fuerit, nec in Alcorano suo inde aliquid dixerit. Nisi forte Abraham in hoc uos sequi dicatis. Cum enim uos Ismaelis filios esse iactetis, et Abraham dicatur a Deo, non in Ismaele, sed in Isaac reputabitur sibi semet: uos in semine Abraham quomodo estis, qui ad Isaac nullo modo pertinetis? Si uos dicitis, Christum fuisse circumcisum, quid ad uos, qui Christiani non estis? De cuius tamen circumcissione quam rationalis fuerit, si uel digni essetis, uel in aliquo ad eum pertineretis, plenissime responderemus. Nunc uero cum nec Iudei

ieiunia et orationes.

lotione Lotionum frequentia.

Machumet non circumcisus.

Ismaelitis.

nec

nec Christiani sitis, circumcissionem inueni-
 stis. Nisi certe, quod ualde credibile est,
 hoc etiam à Iudeis libro uestro insertum sit: ut
 sicut de quibusdam Paulus Apostolus dicit, in
 carne uestra gloriarentur, dum uos more suo
 circumcidi facerent, & suos in errore socios
 habere gauderent. Quare etiam Machumet
 porcum comedi uetuerit, nescio. Nam & Iu-
 dai à porco & à quibusdam alijs prohibiti
 sunt. Ratio certa apud nos est, quorum fidei
 lex illa militabat. Et licet nos modo illa corpo-
 raliter non seruemus: ea tamen quæ ibi signifi-
 cabantur, spiritualiter implemus. Quibus in
 nouo Testamēto reuelata sunt omnia per Chri-
 stum, qui utriusque Testamenti conditor est.
 Ipse enim dixit per Apostolum suum: Omnia
 munda mundis, & nihil reiciendum, quod cū
 gratiarum actione percipitur. Illam uerò tur-
 pitudinem audiens non exhorreat, quam non
 erubuit Machumet in Alchorano suo pone-
 re? Ut scilicet uiro quancumque uoluerit,
 qualibet etiam causa, possit uxorem repudia-
 re: sed non nisi prius alteri uiro iungatur, nec si
 uelit, possit eam reuocare. Hanc certe legem
 etiam bruta animalia, si loqui possent, turpis-
 simam esse clamarent.

DE PENEGRINATIO-
 ne ad domum Mecha.

Quid est autem, quod me inter alia legis
 uestre optima etiam ad Alabagh, hoc est,
 ad peregrinandum in domum Dei illicitam,
 quæ est in Mecha, exhortatus es: ad proicien-
 dos quoque lapillos, & ad inuolutionem lin-
 teoli circa renes? Miror etenim, quod ita me-
 cum loqueris, ac si nunc me primo nosse incipe-
 res. Nunquid ego aut cæcus, aut surdus nuper
 effectus sum, aut forsitan mutatus in puerum?
 Cui sic illudere possis, ut modo primum discere
 incipiam inanes & fatuas superstitiones, quæ
 nec rationem, nec honestatem in aliquo habe-
 re probantur. Quasi uerò nesciam, quid sit,
 & unde processerit, uel qualiter ad uos ritus
 ipsius erroris, stultissimus inter alia mala deuo-
 lutus sit. Nonne hæc & illa præclara socij tui
 idolorum destructione diligentia? Ut cum à
 cæterorum cultu suos discipulos inuolueret,
 ipsud tamen in honore Veneris fieri Mecham
 suam permetteret. Quod quale sit, uel à qui-
 bus cœperit, quoniã tu te simulas, audi. Duarum
 Indiæ gentium, quæ uocantur Zechian et
 Albarachuma, antiqua consuetudo fuit, nu-
 dos & decaluatos, magnisq; ululatus personan-
 tes simulachra demonum circumire, angu-
 los quoque osculari, & proijcere lapides in a-
 ceruum, qui quasi pro honore dijs extruebatur.
 Inde enim est, quod in libro Salomonis di-

Porcina cur
interdicta.

quis

Repudij licen-
tia.

Mecham fre-
quentandi su-
perstitio.

in

Veneris cul-
tus.
Mechæ.
ignorate

citur: Qui proijcit lapidem in aceruum Mer-
 curij. Faciebant autem hoc bis in anno, sole sci-
 licet existente in primo gradu arietis, & rur-
 sum cum esset in primo gradu libræ: hoc est,
 initio ueris & autumnii. Hæc ergo consuetu-
 do cum ab Indis ad Arabes descendisset, eamq;
 suo tempore apud Mecham in honore Vene-
 ris Machumet celebrari reperisset, sic illam
 manere præcepit, cum tamen cætera idolola-
 triæ præstigia remouisset. Illud uerò soli Ve-
 neri in illa celebratione dicitur exhiberi soli-
 tum, ut lapilli retro, id est, sub genitalibus
 membris proijcerentur, eo quod Venus illis
 maxime partibus dominetur. Vnde adhuc ita
 fit in domo Dei, quam tu uocas illicitam, id
 est, ubi nihil licet, nisi quod sacrum est. Ve-
 runtamen cum hoc à nudis ex toto hominibus,
 semper fieri soleret, non tulit hoc humana ue-
 recundia. Instituerunt aliqui, ut proies flores la-
 pidum paruo saltem linteolo renes obtegerēt,
 ne omnino denudati homines canum impu-
 dentiam imitarentur. Hanc ergo insaniam me-
 rito creditur Machumet saluam & incolumem,
 cum reliquas demonum culturas cessa-
 re præciperet, dimisisse, ne dominam suam Ve-
 nerem, in qua se esse potentissimum ipse iacta-
 bat, penitus sine honore relinqueret. Pro quo
 beneficio talem illi gratiam Venus rependit,
 ut ad eum totam huius gloriam referri, ut pote
 ad singularem amicum, æquanimiter sustine-
 ret: Dum uos modo non Veneri, sed ipsi pro-
 phetæ eius hoc obsequium impendatis. Quod
 apud quosdam uestrum tantæ stultitiæ deputa-
 tur, ut uir prudens Gomar filius Hazba cum
 ad osculandos lapides (quod ante alia Machu-
 met & fecerat, & fieri iusserat) aliquando ac-
 cessisset, sic locutus fuisse dicatur: Ego scio,
 quia lapides istos osculari nec obest, nec pro-
 dest. Sed quia sic fecit, fierique iussit noster pro-
 pheta, facio: licet sit omnino inutile.

DE HOC QVOD IN
 domo illa dicuntur
 fieri mira.

Ecce quid est alabagh uestrum, & alchi-
 mar, & peregrinatio in domum Dei il-
 licitam? Ecce ad quæ sacra, ad quam festiuita-
 tem, ad quantæ honestatis & utilitatis cele-
 brationem amicos tuos inuitas. Obsecro cha-
 rissime, ut & nobis in hoc & tuæ quoque ue-
 recundiæ amodo parcas, nec homines ad hu-
 iusmodi spurcitas, sed magis porcos, si ita uo-
 lueris, aduoca. Nunquid autem uerissimum
 in tua laudatione dixisti, quod scilicet mi-
 ra ibi fieri uideantur? Et uere mira non
 solum uidentur fieri, sed fiunt: quando ra-
 tionabiles homines in bestialem sensum muta-
 ti,

Salomoniste-
cus.

Lapillorum
superstitiosa
proiectio.

Machumet
Veneri addi-
tus.

tati, ista que narrauimus & similia faciunt. Non enim hoc facere possent homines, nisi prius ab humana rationis iudicio ad peccatam animalitatem conuerterentur. Verum ne dicas, nos serio, non ludo tecum agere debere, dimittamus paululum ioca, & quod ad rem pertinet, disseramus. Quæro igitur à te, quæ sunt illa mirabilia, quæ ibi fieri uidisti, uel audisti? Nam si me interrogares de locis uel de ecclesijs Christianorum, tale aliquid non unum ego, sed mille tibi loca numerare & ostendere possem, in quibus cæci uisum, surdi auditum, muti loquelam, paralytici, uel quolibet alio modo claudi gressum recipiunt. Ad ultimum, ibi omnium generum languores & incommoda, siue animarum siue corporum, depelluntur. Ibi etiam sepe, quod maius est, ipsi mortui resuscitantur. Et hoc non aliquibus exterioribus adiumentis, siue quolibet genere medicina humane, sed fide, & oratione, & pura cordis deuotione id apud Deum & sanctos, pro iusticia & uera pietate erga mortuos impetrante. Tu ergo si unquam uel semel huiusmodi uirtus aliqua in illa quam uocas domum Dei, facta sit, enarra: Et si saltem unum tale quid ibi aliquando factum tibi ostendere potes, concedo uera esse, quæ dicis. Sed quoniam scio te id nullo modo posse, non enim illud tacuisses, si haberes, quando me inuitans, & mirabilia illa narra's, nihil habuisti quod diceres, nisi quia lapilli proijciuntur: quod non uirtutis diuinæ miraculum, sed diabolice impuritatis constat esse deliramentum. Cur illa loca sacrata etiam dixeris, respondere nequis.

DE HOC Q. VOD MACHOMETUS iubet homines ad feritiam suam uiolenter cogi.

D Enig, inuitas me ad uiam Dei, quæ est expeditio contra aduersarios, & incredulos, & participatores, scilicet in ictu gladij, et populatione & deuastatione, donec ingrediuntur in fidem Dei, & testificentur, quia non est Deus nisi Deus Machomet, & quia Machomet seruus eius & nuncius, aut reddant tributum subiecti. O tu prudens & sapiens, obsecro te, quomodo possunt continuari uerbatuæ Nam multum discrepant, cum dicas hoc contra tuam scripturam, quam credis esse à Deo, quæ ita dicit: Missus est hominibus pariter in pietate & misericordia. Qualis habetur misericordia cum effusione sanguinis, & latrocinio, & præda? Si autem iterum apposueris nobis Moysen, quoniam ipse cultores idolorum expugna uerit, recordare illa prodigia & miracula, quæ legisti eum fecisse in lege: & uidebis, quod iustum est credere, illum ex præcepto Dei hoc

Christianorum ecclesie miraculis celebres

Machomet sanguinarius,

Moses

fecisse. Similiter de Iosue filio Nun, cui sol & luna steterunt. Quæ miracula cum fieri non possint nisi ab electis Dei, credimus, quod quicquid fecere, iussu Dei factum sit. Tu autem nunquam legisti in diuina scriptura, aliquos ad Deum uiolenter conuersos: nec præceptis, gladio, direptione, captiuitate, sicut tuus socius fecit, & iussit obedire, coactos. Multi certe olim hæretici fuerunt, quorum tamen nullus nec gladio, nec aliqua coactione aliquem ad suam sectam pertrahere conatus est, sed fallacis. Quicumque enim uoluit inducere homines ad ueritatem siue ad mendacium, non potuit hoc facere sine aliqua uel saltem uerisimili prædicatione. Et omnes quidem præter socium tuum ita fecisse noscuntur. Ipse enim ad suam sectam non ita homines, hoc est, non sola arte calliditatis aut ingeniosa loquacitate, sed gladio, & uolentia, & oppensione, & depopulatione coegit. Nunquam auditum est ab aliquo, quod ille dicebat hominibus: Quicumque non confitebitur me prophetam esse domini seculorum, gladio illum feriam ego. Et omnes quicumque de progenie mea sunt, similiter facient, & domum eius diripiam, & omnem familiam eius captiuitate affligam.

DE VANIS PROMISIONIBUS & minis Machometi.

N On scripsimus ex inuidia uel indignatione, sed causa disputationis, ad quam nos prouocasse uideris. Compulisti nos pauca de multis in medium proferre. Noster siquidem ignis latebat in lapide: sed tuo chalybe excussus, coactas erupit in flammis. Quocirca tam tibi quam omnibus qui meum scriptum uiderint, plane & fiducialiter loquor. Quoniam illa ad quæ me inuitasti de rebus labilibus & fugitiuis, tam stulta & inania sunt: ut etiam si æterna essent, nullatenus homo rationalis ea deberet appetere, uel suum ad hæc animum inclinare, præsertim cum aperta sint asinis & porcis, siue cæteris animalibus in quibus nihil aliud est quam comedere, & bibere, & concumbere. Hic etenim mundus, qui maxime per ista miseris decipit, apud rationabiles homines cum omnibus illecebris pro nihilo deputatur: qui solerter ac ueraciter cuncta eius blandimenta & gaudia fugitiua & misera esse considerantes, seque ab ipsius laqueis uiriliter excutientes, CHRISTI Domini uera & sempiterna bona in futuro seculo promittentis sacro sanctis uestigijs adhaerunt. Ipsi autem tuis inordinatis admonitionibus nemo dignus habetur, nisi qui suæ carnis miserie subiaccens, pronus & præceptis ad quælibet libidinis incitamenta, sicut equus & mulus fertur, & rapitur.

Iosue An uiolenter cogendi homines ad fidem,

Hæreticorum fallacia,

Prophete ad firmationem tibi.

Machomet etiam minando arrogans,

Mundi, reff. que mundanarum uantitas,

tur. Ego autem te non puto credere, me ad talia anhelare. Sapientes enim ac rerum causas subtiliter perpendentes, ab omnibus illis, quæ tu pro magno munere in libro tuo promittis, longe distare uidentur. Illi enim indefinenter toto nisu per Dei gratiam elaborant, concupiscentiis et uitia carnis extinguere. Et ut etiam quod non naturaliter superfluum habetur in corpore, possit auferri sanctissimo castimonie studio seipos non desinunt castigare. Deus enim non creauit hominē ad hoc, nec in die iudicij ad hoc simile resuscitari faciet. Tu autem in libro tui socij scis hoc scri, tū esse: Nos nō ad aliud homines et demones creauimus, nisi ad colendum nos. Deinde aduersus soluit pactum, et destruit ædificiū, præcipiens uxores tres uel quatuor ducere, et ancillas quantæcunq; inueniri poterunt, unumquengq; sibi applicare: Insuper et more pecudum comedere et bibere absq; ordine, omniq; moderationis discretione. Capitulum uerō repudiij, et licite reuocationis hic ponerem, nisi prolixus esse timerem, et librum istum uerbis inobsequiosis fordidare resurgerem. Nam et ipsi gentiles, qui filios suos idolis immolant, hanc turpitudinem omnimode abhorrebant. Ego autem confundor tanta nominare, et scribere. Ilud uerō quod mihi aliquando dixisti, et meis minis uerberasti, fiducialiter in Christo agens non timeo. Dixisti enim mihi: Considera quæso diligenter, et hanc iniuriam tibi inferre noli, neq; quod noceat prouoca. Audi ergo Dominum Iesum Christum in suo Euangelio mihi dicentem: Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: Sed potius eum timete, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam. Ego igitur securus et constans, scio et credo, quia nullus in animam meam potestatem habet: nisi Dominus Iesus Christus, cuius nomen sit gloriosum et benedictum. Qui in me abundare fecit clementiam domini mei Emir molimini. Nam et ego et mei similes, qui eius uel longe uel propè familiaritate gaudemus, sub umbra alarum ipsius in securitate, et æquitate, atque benignitate manemus.

EXPOSITIO CVLTVS Saracenicæ.

Frustra igitur inuitas me ad sectam tuam dicens: Inuito te ad quinque orationes, quas quicumq; impleuerit, petitione sua non fraudabitur, nec damnū aliquid pertimescet: eritque tam in hoc seculo quam in futuro laudandus. Iste quippe orationes duabus institutionibus datae sunt, una quidem à Deo, altera à Dei nuncio. Sunt enim post cœnam tres genu

Castimonie studium.

Legis Machu medicæ licentia.

Quinque orationum superfluo.

flexiones, et duæ in aurora, et post meridiem duæ, et duæ post solis occasum. Quicumque autem aliquid ex hoc dimiserit, à peccato immunis non erit, et oportet illum poenitere, et subdi correptioni. Institutio orationis inter diem et noctē XVIII genus flexionibus constat. In aurora duæ, post meridiem IIII, in uespera quatuor, post solis occasum quatuor, in prima cœna ante comestionem duæ, post cœnam (quæ uocatur ultima, quando iam est alahabama, id est densitas tenebrarū) duæ. Rursus inuito te ad ieiunium mensis Ramazan, quod Deus iudex instituit, et in eo Alchoran uenire fecit. In quo mense de nocte prædestinationis testificatus est, et nox illa mille mensibus melior habetur. Ieiunabis in die ab omnibus cibis et potibus, et concubitu, usquequo solis lumen occidat, et noctis ordo incipiat. Tunc comedes, et bibes, et concubes per totam noctem, quousq; filum album à nigro discerni possit. Hoc enim liberum et licitum est, et uita tranquilla et suauis à Deo. Tunc uero si puritate mentis ad celebrandam noctem prædestinationis peruenire merueris, ab omni malo et nunc, et in futuro seculo securus eris. Dixit etiam Deus gloriosus et excelsus: Scripsi uobis ieiunium numeratis diebus, sicut scripsi illis, qui uos præcesserunt, fortassis timebitis. Si quis infirmus est, aut occupatus itinere, eundem dierum numerū alio tempore soluat. Illorum uerō ieiunium, qui ieiunare non poterint, uictu unius pauperis redimatur. Interim qui obedierit, melius illi erit. Si enim ieiunaueritis, et scieritis, quod hominibus utile est, et iustificationis testimonia, et Alsurcan, propriam mercedem habebitis. Dormire uerō cum mulieribus in ieiunio, licentiam uobis tribuo. Illæ indumentum uobis sint, et uos similiter illis. Præsciuit enim Deus, quod circūcisuri essetis animas uestras, et poenituit eum, et liberauit uos. Adherete igitur illis, et diligite hoc, quod uobis scripsit Deus. Comedite et bibite, donec in aurora discerni possit filum album à nigro. Deinde perficite ieiunium usq; ad noctem sine coitu mulierū. Eritis enim perseverantes in domibus orationū: tamen, appropriabitis eis. Hæc sunt præcepta Dei. Præsebat enim nuncius Dei uespertina cœnam matutino cibo. Iterum inuito ad domum Dei illicitam, quæ in Mecha sita est, et uidere illicitum nunciij Dei, et considerare uestrigia et loca ipsius, et quomodo lapilli proijciuntur retro quod uocatur Alchimar, et inuolutionem linteoli circa renes, et quomodo osculatur angulus domus illius, et uidere loca illa sacrata, et multa mira, quæ ab hominibus

Ieiunium.

Alromadani.

Libidinis trusus in ieiunio concessus.

Mecha cultus.

Expedio diuina.

appetuntur. Item inuito te ad expeditionem diuinā, quod est contra inimicos & aduersum incredulos proficisci, & expugnaret participatores & hereticos in ore gladij, donec ad fidem Dei ingrediantur, & testificentur, quia non est Deus, nisi Deus Machomet, et ipse nuncius Dei & seruus, aut tributum reddant.

DESCRIPTIO PARADISI iuxta figmenta Machometi.

Item inuito te ad confessionem dei, ad cuius nutum resuscitantur mortui, qui indiget eos in iustitia, & bonis bona retribuet, & malis mala. Et faciet suum populū eos qui sibi obediunt, & confitentem singularitatem eius testificati sunt, quod Machomet est propheta ipsius & nuncius, & crediderunt omnibus, quæ super eum descenderunt à deo, in excipiendo legem uidelicet de paradiso, in quo multa bona sunt illis preparata, cum habuerint armillas de auro & electro, eruntq; uestimenta eorum serica, & dicent: Gratias deo, quia non abstulit à nobis retributionem. Nulla oppressio uel molestia eos tanget. Habebunt certum alimentum, & fructus, & erunt in paradiso deliciarum exultantes, & sibi inuicem occurrentes honorificati. Discurretur per eos uasis argenti candidi. Quilibet bibentes delectabitur. Non erit ibi luctus, neq; mœror. Habebunt mulieres uenustis oculis. Habebunt cœnacula, & supercœnacula, sub quibus erunt flumina. Nunquam enim promissio dei fallit. Et dicitur eis: O cultores dei, nolite hodie timere: Tristitia non appropinquabit uobis. Ingreddimini paradysum uos & uxores uestræ, & estote securi. Discurretur per uos calathis & scutellis aureis, & habebitis quod animæ appetunt, & concupiscunt oculi in secura mansione in hortis & fontibus. Ibi primo primam noctem alia non sequetur. Et faciet eos securos à tormentis inferni. Hæc est gratia dei tui. Ipsa est enim liberatio magna. Dixit enim deus gloriosus & excelsus: In paradiso, quem pollicitus sum timentibus me, sunt flumina aquarum, in quibus nihil noxium est. Sunt flumina lactis, cuius sapor nunquam deficit: flumina quoq; uini, bibentium delectatio: flumina uerò mellis purissimi, habent siquidem omnes in eo fructus, & remissionem à domino. Dixit quoq; gloriosus & excelsus: Timentibus deum optime erit in ultimis. Aperientur eis portæ horti Eden, ubi pariter discumbentes precipient sibi afferri uinum, & abundantiam fructuum, et habebunt oculis uxores preciosissimas. Hoc eis promittitur in die Iudicij. Vidus ibi nunquam deficit. Dixit iterū deus gloriosus & excelsus, in descriptione paradisi:

Paradisi f. 27. eie uoluptates.

fi: Sunt in eo duo fontes currentes. Sunt in eo pomorum arbores, & palma, & mala punica. Discumbent in excelis uiridarijs super pomis & prunis. Adducentur timentes deum in paradysum per turmas & agmina congregati. Quibus cum hostiarj ianuas aperuerint, dicent: Pax uobis, habemini: Suauiter ingredimini, & estote hic in perpetuum.

ADHVC DE EODEM.

ET dixit gloriosus excelsus: Feci eos occurrere gaudijs & delectationibus, et dedi eis pro retributione paradysum, eò quod patientiam habuerunt. In quo erunt discumbentes super plumaria, et non percutiet eos sol, neq; frigus: Et super eos umbra illius permanebunt. Per quos etiam uasis argenteis et canistris discurretur, similiter & uasculis modicis argenti, & pixidibus ministrabitur eis, & facient eos potare uase quasi comixti gingiberi. Fons in eo est qui claritas appellatur. Non audient ibi dolum, neq; mendacium. Hæc est retributio domini tui, quod est donum præ maximum. Dominus enim eorum liberabit eos à cruciatu inferorum, dicens: Comedit & bibite securi, discumbentes in lectulis dispositis. Dedimus eis uxores pulcherrimas, nihilq; eis de suo malo cære imputabitur, & unusquisq; secundum quod appetit, obtinebit. Dedimus eis diuersitates pomorum, & quicquid carnis ad edendum concupiscunt, & ut sibi propinent inuicem. Ministri sicut aurum fulgentes discurrent per eos, ad seruiendum parati. Et dixit benedictus & excelsus: Præcedentibus et festinantibus dentur mansiones in paradiso uoluptatis. Pauci de primis, & pauci de nouissimis erunt super lectulis ordinatim dispositis, semetipsos ad inuicem intuentes. Inter quos erunt ministri sine fine mansuri, tenentes discos & concbas & uasa preciosa. Quicquid de pomis uel de carne uolatilium uoluerint, obtinebunt. cum quibus adhererunt mulieres uelut margaritæ fulgentes, scilicet sui operis præmium. Non existit illic dolum uel iniquitas, sed tantum pax et salus. Hæc est descriptio paradisi, quam præparauit deus credentibus in se, & in nuncio eius. Vbi præparata sunt illis multa delectabilia edendi, & bibendi, & dormiendi cum mulieribus intactis. Quæ sunt uelut lapides preciosi sine fine splendentes, & accipient omnia, quæ oculi eorum concupiscunt, & habebunt honorem & uitam. Et sedebunt super thoros mollibus induti, & purpureis: ornati quoque armillis preciosis & nitidis. Vultus eorum hilaris & iocundi. Inter quos mares & feminae seruentes ambulabunt, & uelut aurum rutilantes fragrabunt ut muscus, & uariæ aromatum

matum

matum species. Bibent de fonte suauitatis, et dicitur eis, Auete in omni pace. Comedite et bibite, et delectamini, eo quod digni estis, cum omni securitate.

DESCRIPITIO
infernī, iuxta
eundem.

Infideles uero qui participes faciunt deo, et pares illi attribuunt, et propheta dei non credunt, nec epistolam eius suscipiunt, et preceptis dei aduersus prophetam eius rebelles effecti sunt, deputabuntur gehennae incendio: Eruntque in cruciatu et stridore ineffabili, et igne sine fine inextinguibili. Quorum cutis quotiens ignis ardore consumitur, totiens ad noua iterum supplicia reparatur. Mansio eorum puteus abyssi, potus omni felle amarior, cibus de arbore quae appellatur azachum, et est omni pessimo sapore deterior. Erunt sub ira dei cum diabolo, et angelis eius. Dixit quoque deus gloriosus et excelsus: Qui non credunt mirabilibus Dei, et prophetas et eos qui ueritatem praedicant interficiunt, erunt in horribili cruciatu. Quorum opera maligna, nullo eis auxiliante, super ipsorum capita redundabunt. Morientur, nec tamen a cruciatu liberabuntur. Et dixit, Arbor azachum data est pro delectatione impij. Ipsa est enim, quae in profundo abyssi nascitur, cuius fructus quasi demoniorum. De quo manducantes uentrem suum implebunt. Denique omnibus malis subiiciuntur, et semper ad inferni supplicia reuoluentur. Superius et inferius caligo, ignis, et tenebrae. Et dixit: In die resurrectionis facies eorum qui deo non credunt, horribiles atque nigerrime. Nunquid enim gehenna mansio impiorum

non est, et eorum qui nostris signis non credunt, et damnandi sunt: Et dixit Qui non crediderunt, detruentur in infernum conglobati. Ad quem cum peruenerint, et ministri portas aperuerint, dicent illis: Nonne ex uobis erant nuncij missi ad uos, qui uobis insinuantes praecpta dei, annunciauerunt diei istius occursum. Intrate igitur portas gehennae, ad habitandum in ea sine fine. Haec domicilia preparata sunt superbis. Et dixerunt qui in igne summersi sunt, ministris: Deprecamur uos, orate pro nobis deum, ut alleuiet nobis cruciatum huius diei. Ministri responderunt: Orate. Sed quid oratio impiorum, nisi error? Ex hinc sentient pondus cathenarum, et uincula. Erunt pallentes in igne, et rursum fatigati in igne. Tunc uidebit eos afflictione oppressos, et tumidis oculis latenter aspicientes. Iterum dixit benedictus et excelsus: Impij permant bunt in cruciatu gehennae, ubi detrusi ulterius non respirabunt. Nos nihil illis iniuste fecimus, sed ipsi sibi impij extiterunt. Tunc uociferabuntur: Usque quo damnandi sumus, o rex? Dixit, Ita manebitis sine fine. Et iterum dixit: Arbor azachum cibus est peccatorum: feruet in uentre sicut sulphur. Accipite illum, et ad horribilia inferni loca deducite, et super caput eius cruciatus et dolores infundite. Haec sunt enim opera, quae faciebatis. Et dixit gloriosus et excelsus: Afferre aquam amaram, quae uiscera eorum dirumpat. Vae non credentibus in die qua nec permittentur loqui, ut aliqua habeant excusationem. Haec de illa disputatione duorum philosophorum, pagani et Christiani, breuiter excerpti, ad insinuanda signimenta et fallacias Machometi.

Inferno deli
nandi qui.

Azachum: